



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...**

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conuersione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1670**

66. Mors P. Terentij Belgae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10757**

casus opinor cum tædio legerint, qui voluptatis causa legunt, vellent-  
que scenam in noua prodigia singulis paginis mutari: hoc ego hic ago,  
(æquis rerum magnarum æstimatoribus vt reor placitum) & intelli-  
gi hoc volo quanti sit, & molitionis quàm arduæ quamque heroiçæ  
Christi Regnum, regno inuichere idolis integrè mancipato, vbi quæ  
maximè videtur obstare religionis pugna, leuior est si cum aliis quæ  
expugnanda sunt conferatur, ex quo euident fiat, quanta illos vige-  
te virtute ad agendum, quantò ad tolerantiam animi robore pollere ne-  
cesse sit, qui ad hoc opus accinguntur.

Quam nobis lætitiã fecerat præcedens annus ex restituta liberrate,  
ad emendationem Calendarij Sinensis; eam præsens annus turbauit  
plurimum, præstantium hominum P. Terentij, & Doctõris Leonis  
duplici iactura, quorum præcipuè ingenio, & doctrina, emendatio  
illa nitebatur.

Terentium Pechini occidit morbi leuissimi violentum, & furiale  
remedium, quo in sudores liquatus continuos, viribus tandem & vita  
defecit Maij decimo tertio, ætatis anno quinto post quinquagesimum;  
Societatis vigesimo, habitationis inter Sinas nono. Natione Germanus,  
Constantiensis ditione, in Philosophicis, medicina, & Mathematicis  
eminens, à magnis vtriusque Germaniæ Principibus, magnis item  
inuitabatur conditionibus, quas Societatis instituto generosè postposuit;  
eius in Indiam, Malacam, Macaum, in Sinas, & quam longè tenduntur  
Sinæ, non fuere, vt solent errantium, deproperata itinera; omnia  
norabat acutissima curiositate, in omnibus philosophabatur; & manu  
etiam habili qua valebat, plantarum figuras, & animantium reddebat,  
& natiua eorum specie coloribus expressas; quibus, & aliis illorum  
Regnorum singularibus, ornare parabat Bibliothecas Europæ.  
Religiosum hominem quod spectat, & virtutes Apostolo dignas,  
venerationi fuit etiam ethnicis, qui profecuti sunt luctu eius mortem;  
funus vltronea largitate; quod quidem tunc primum à nostro exilio  
solenni ritu elatum est, vt sub Regis ipsius oculis, reuocaretur in possessionem  
officium illud vltimæ pietatis, quod viro in Regis domesticos adscripto,  
Mandarinorum nemo tentasset contendere. Non diu post Rescripto Regio  
Doctor Paulus iussus idoneo astronomo locum Terentij supplere Patres  
Iacobum Rhò, & Ioannem Adamum Scial euocauit, qui manum supremam  
imposuere Calendario operi multis difficultatibus perplexo. Nondum sextus  
mensis à Terentij obitu fluxerat, cum Doctorem Leonem mors nobis  
exipuit, illum toties laudatum, sed hic si vltquam celebrandum, vbi  
multum sibi labore assiduo de vita detraxi neglexit, modo is labor  
fidei proferendæ aliquid adderet. Quare Hanceo à Doctore Paulo,  
trans Prouincias quatuor ingentes Pechinum inuitatus, ad iungendam  
secum Patribus operam, nec annos excusauit sexaginta quinque  
in decrepitum senium vergentes; nec valetudinem morbosam, nec reliquias  
vitiũ tam exiles,

66.  
Mors P. Terentij  
aëlga.

67.  
Doct. Leonis  
mors.